

MYSIAM HANC SUPERIOREM DACIAEQUE PARTEM, LIBURNIAM DALMATIAMQUE
 ac Sauriam, seu Sauri fl ripas Bessi qui nunc Bosni dic ti ex inferiori Mysia a Bulgariis eieci occuparunt possidentque: ac Getarum gentes creduntur.



ILLIRICI SEV SCLAVO
 NIAE, CONTINENTIS Croa
 tiam, Carniam, Istriam, Bosniam,
 eisque conterminas provincias, re
 cens ac emendatus ty
 pus. Auctore Augustino
 Hirsvogelio.

ILLIRICI SEV SCLAVONIAE.

nino rupes iacet. Talis cum plaga esset Illyrica, maritima praesertim spreta prius erat, virtute locorum fortassis ignota, idque ut plurimum propter agrestes hominum ritus, gentemque pyriticam. Super hac sita regio tota motana, frigida, & niualis est, ampliusque in aquilonem spectat, adeo ut raro vitem ferat. Ad oram omnem maritimam insulae sunt, quas Absyrtidas vocant, circa quas Medea fratrem Absyrtum cum eam persequeretur, necasse traditur. Inde Ceraetia est ad Iapedas pertinens, eam Crespam Ptolomaeus dicit, hodie Kerffy, postea sunt Liburnides, quas Strabo ait numero 40. esse, ex sunt Arba, Lissa, Issa, hodie Arbi, Ioly, Paruij, Pagore vocantur. Hinc aliae plurimae, inter quas est Pharos, quae ante Paros dicebatur nobilissima. Fluvij quamplurimis haec regio rigatur, quorum nonnulli in Adriaticum seu Mediterraneum mare, alij vero in Sauum, Drauum, Istrumque exonerant. In sinum Adriaticum exonerant, ac Histriam perluunt Formio, qui nunc Risanus, Nauportus olim, nunc Quietum dicitur & Arfia. Qui Mediterranea loca perlabuntur, praecipui sunt Drauius, qui ex Noricis violentus, Sauus ex alpebus currit. Vterque Istro seu Danubio miscetur. In Sauum se condunt Colapis, Bacutius, Valdanus, Vrpianus, Drinus, Noarus. quibus omnibus barbara iam ac recentia sunt nomina, quae ex tabula discet lector. Montana tota est regio, ut paulo superius quoque ex Strabone monui. Albius mons post Alpes sequitur, in quo Iapedes siti sunt: cuius iuga etsi excelsa non sunt, vnum tamen reliquis excelsius iuxta Fanaticum sinum, in cuius vertice fons oritur, cuius aquis omnes adiacentes rigantur agri. Herbis medicis hic refertus est, ad quem visendum non inquilini tantum, sed & exteriores ac peregrini summo labore ac molestia conscendunt medici. Deinceps mons est Adrius, mediam diuidens Dalmatiam: huic ad mare, huic autem ad terram, reliqua ad Ortum, Scardus mons regionem claudit. Syluis etiam Illyrici colles teguntur, ad Adriam montem Pyrpaniensis sylvia est. Inter Sauum & Drauum quoque longo tractu Hercyniae portio excurrit. Mineras Carnunthenses habent ingenti copia, quorum imprimis Chalybs commendatur. Reliqua haec ora Illyrica an metallis foeta sit, non compertum habeo prorsus. Crediderim tamen arifodinis non destitui, cum ob frequentes colles, ac perpetuum montium tractum, tum quod

Strabo etiam affirmet in Dalmatiae finibus iuxta Appoloniā urbem maritimam aes effodi, cuius verba (quia id naturae miraculum videtur) ascribere libuit. In ipsis Appoloniatarum finibus (ait) celebris locus extat, quem Nymphaeum vocitant, ibi vero & petra est, ignem euomens, cui fontes subsunt, qui aqua tepida, bitumineque scatent: dum ipsa bituminis petra (vti par est) vritur. Prope vero in tumulo eius metalli effossilis locus est, quod excisum temporis spatio denuo repletur, cumque tellus intra fossas aggesta sit, in bitumen transformatur. Salis quoque conficiendi modum in eiusdem Dalmatiae finibus fuisse narrat idem Strabo. dicit enim Autariatas & Ardiaeos, qui Dalmatarum gentes erant, aut certe iisdem vicini, inuicem assidue belligerasse, quorum bellorum causa erat sal, quod in eorum finibus coagulatur ex aqua, quae a vase quodam verno stillat tempore. Exhaustibus enim & deponentibus sal ipsum, die quinto coagulatur: Conuenerat autem inter eos, ut per vicissitudinem congelatorio vterentur loco, conuenta vero transgressi manus conferebant. Coquitur etiam sal in Histriae urbe Iustinopoli, quae & Caoudistria dicitur. Terminos harum regionum adijcere vix cuiquam licuerit, ob nimium confusos hodie earum fines. Tamen is quem hic exhibemus tractus ac Sclauonia hodie dicitur, cum complures complectatur prouincias, terminatur ab Occasu quidem Norico & Carinthia, a Meridie sinu Adriatico, ab Ortum Senuia, & inferiore Moesia, a Septentrione Drauo flu. & Pannonijs. Incipit ab Occidente sub gradibus ferè longit. 36. minut. 10. quo loco Aquilegia sita est, ac in Orientem extenditur ad grad. longit. 43. vbi est Petriuaradinum Hungariae vicinum. A meridie incipit sub lat. 44. grad. vbi est Scardona urbs, desinitque in Septentrione sub grad. lat. 45. minut. 15. vbi ferè est Petriuaradinum. Sita est itaque post principium sexti climatis, usque ad finem eiusdem, quod ducitur per Massiliam. Vnde eius parallelus Australis est 14. vbi dies prolixior horarum 15½. Borealis est 15. vbi dies prolixior horarum 15½. longitudinem itaque obtinet hic Sclauoniae tractus miliariorum Germanicorum 31. Italicorum autem 124. latitud. autem ab Austro in Ortum miliariorum Germanicorum 17½. seu Italicorum 70.

STYRAE MARCHIAE ET CARINTHIAE DUCATUS.

Styriam à Tauro dictam esse vix dubiū est, cui opinioni subscribit etiam Aegydius Tschudus: ubi refert ex Plinio Catonem Lepontios & Salassos Faurifex gentis affeuerare (inquit enim) fuerunt autem Taurisci isti Galli, quorum natio in antiquissimis Gallorum praelijs sedem collocavit ultra alpes, de quibus Polybius lib. 2. de bello Gallico sic scribit. In Alpibus ab utroque latere loca montuosa habitant, ad eam partem quæ versus Rhodanum, & Septentrionem spectat. Galli qui Transalpini appellantur, ad eam verò quæ campis imminet. Taurisci, Agones, & alia pleraque Barbarorum genera, à quibus Transalpini non genere, sed differentia loci differunt: ideo Transalpini dicti, quod trans montes colant &c. Isti Taurisci postea emigrantes, alia quæsierunt loca, occupaueruntque regionem illam quæ modò comitatus Goertz appellatur, ac deinde profecti sunt in Syriam, nomen suum illi terræ relinquentes. Significat enim Taurus Germanis *Stier*. Fuderunt se quoque in Austriam & Hungariam, de qua re hinc nō est locus differendi. Hæc ille. Styriam verò Valeriam olim dictam fuisse affirmant nonnulli, sicque appellatam fuisse in honorem Valeriæ, Diocletiani filix, quemadmodum Marcellinus memoriæ prodidit. Quados aliquando hæc loca tenuisse ex eo emicat, quod Sext. Rufus scribit. Sub Iulio Marcomannos & Quados de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubium & Drauum flu. pulsos esse. Est verò & hæc regio Norici mediterranei pars, quemadmodum & Carinthia, & Illyrici prouincijs annumeranda. Germaniæ quoque posterius accessit, quam Styriani hodie cultu & sermone Germani sunt, præter Draui accolæ, qui Illyrica vtuntur lingua. Marchionatus olim Pannoniæ primæ erat, vnde Styriæ marchia dicta fuit. Marca autem limitem sonat: per limitaneū itaque comitem administrabatur, vt Lazius ostendit. Deinceps ducatus dignitatem adeptæ, Austrijs ducibus accessit, quibus etiamnum parat. Distinguitur autem in superiorem Styriam, vbi muræ fluuij diuertigium, & inferiorem iuxta Draui & muræ confluentes, qua Pannoniæ secundæ seu Hungariæ proxima est, vnde is locus *am Hungerischen* vocatur. Vrbes Styriæ sunt famatæ Brugæ ad muram flu. ac ibidē Graziū. Viana voytspurg vulgò ad Kaynacham flu. Wolfspurgum ad Lauandam flu. Marchpurgum metropolitana ad Draui finistrā ripam, ac ex eadem parte Petouiam seu Coloniam Pœtouiicam, Trans flumen est Warafinum, Castra Variana vocant. Rackelspurgum muræ fluminis finistræ ripæ adiacet, vbi Sauaria regio initium habet. Est in Styria incolarum numerus haud exiguus, strumis maxime deformis, quæ in aliquibus tantæ reperiuntur magnitudinis, vt loquelam non parum impediunt, quas mulieres (vt commodius infantes lactēt) ad humeros reijciunt, alioquin pectus seu vbera velaturas lactantibus. Earum causam plerique, nec (vt opinor) ineptē dicunt aquam esse quæ illic potatur. **Terra est vndique montibus**

obsita, qua Orientem respicit Solem, vbi spatiosa est planities: de eius fertilitate parum polliceri ausim. Fluuijs rigatur, Drauo, Lauanda, Sackan, Sulmo, Raynacho, Muera, Murtza, Arrabone, Veystritza, Laufnitio, ac infinitis propemodum torrentibus ac riuulis, qui omnes tandem Danubio miscentur. Montium hic numerus non est, quare singulorum nomina ascribere vix licet, omnes penè generali nomine Noricæ Alpes vocantur. vnde Alpium adhuc præ se ferunt nomina, vt in Carinthia paulò ante monstrauimus, cuiusmodi sunt Rauchalbn, Stubalbn, Sawalbn, Schwanbergeralbn flu. In confinijs Austriæ, Carinthiæ & Styriæ Taurus mons est. muræ flu. Gesacus mons imminet, nunc vulgò *der Schockel* vocatur, & Sattli, Mansfperg, Weinsperg, iuxta Salzam fluuium vocatur Ina Sawruessel, hoc est, os porcinum, *Deifelssteig*. i. Diaboli præcipitium. Infra Muram dicitur, Im Gaistal, Stainperg, & Kainacheralbn, paulò inferius sunt, Kreiczpergus, & Hertzpergus montes, & versus Ortum Radel, & Plaitzbergus montes. Ultra Drauum versus meridiem Claudius mons est, nunc Dracimberg dicitur. Refert Vadianus quod superioribus annis Viennæ Austriæ constans fama increbuerit, ardere in Styria cœpisse montem, quo pellectus Maximilianus Cæsar Augustus, nuncijs ad inquirendum missis, ita esse, vt ferebatur, cōpererit, quod miraculi loco, hic recensere libuit. Hæc verò accidisse verisimile est, circa annum Christi 1520. quo tempore Vadianus hæc videtur scripsisse. Prædicti verò montes passim, sparsimque syluis vestiuntur, Minæris regio vniuersa turget, verum Principum incuria parcius foditur. Argentarias fodinas habet in Alpibus, quas *Schryenberger albn* ipsi vocant. Ferrarias iuxta Anisum fluuium Thermas habet in Dobra, inter Muram & Raynachum flu. Salis quoque ingentem copiam Styriani coquunt, quem in alias regiones exportant, ac lucrum ingens recipiunt. Terminatur autem hæc regio ob Ortum quidem Hungaria, ab Meridie Carniola, Carniæque ab Occasu Carinthia, à Septentrione Austria. Incipit autem ab Occasu sub gradib. longit. 33. minut. 27. vbi Lauamunda Carinthiæ est: desinitque in Oriente ad longitudinem grad. 35. minut. 55. vbi Schaken oppidū ad Muræ & Draui confluentes. A Meridie initium sumit sub latitudine graduum 46. vbi Plaiburgurgum oppidū in comitatu Siliēsi, ac Septentrionem versus extenditur, ad latitudinem graduum 47. minut. 30. vbi Hogenpergum in cōfinibus Austriæ. Subest itaque post initium septimi climatis, quod est per medium pontum Euxinum, sub Parallello 16. longitudinem verò habet ab Occasu in Ortum, milliariorum Germanicorum 40. seu Italicorum 160. In latitudinem autem extenditur à Meridie in Septentrionem milliariorum Germanicorum 22½. vel Italicorum 90.

N

STIRÆ MARCHIÆ DVCATVS SEV TAVRIS

corum Noricorum sedis acuratus ac elegans typus Chorographicus.



CARINTHIÆ DVCATVS VEL IVLIARVM

alpium tractus vera ac genuina delineatio geographica.

